nostra tentoria et quotiens ea fiximus palis, totiens palis evulsis ea nobis dejecit (**73 a**). Taedio autem affecti post saepenumero dejectionem ea jacere dimisimus. Cucurrimus etiam, ut moris nobis erat, pro colligendis sarmentis et lignis per campum, sed nihil combustibile reperire potuimus, unde accepimus vasa lignea, quae evacuavimus vino et aqua, et sportas ovorum et caveas pullorum et gallinarum et ea confregimus et ignem accendimus. Ventus autem erat adeo validus, quod ignem factum dispersit, unde coacti fuimus cum togis et vestibus ignem circumstare et impetum venti contra ignem prohibere. Comedimus ergo et bibimus illo sero et nocte dormivimus sub divo et per flatum venti et arenarum projectionem fuimus multum inquietati. In illa nocte ingressi sunt ad nos quidam Arabes miseri petentes a nobis panem, quibus libenter communicavimus, quia videbantur valde humiles et discreti.

Quinta die in media nocte surreximus et erat dominica XIX. post Trinitatis. Oneratis bestiis a Choas recessimus et per campum illum latissimum sterilem, in quo nihil penitus viridis fuit, processimus. Contigit autem nobis ante solis ortum casus quidam, quem pertransire nolo. Erat in prima societate magnificus et ingenuus vir, dominus Bernhardus de Braitenbach, tunc camerarius ecclesiae metropolitanae Moguntinensis, nunc vero dignissimus existit ibidem decanus; hic vehebatur per totum desertum camelo in sporta propter teneritudinem et debilitatem. Cum autem dies aspiraret, jussit prosterni camelum suum, quo insidebat et de sporta descendit in terram ad faciendum quidpiam operis et ad refocillandum se faciendo aliquos passus in sabulo. Alleviatione recepta reascendit in sportam et camelus suus post nos cucurrit. Cum autem per aliquantum spatium processissemus, sensit praefatus dominus sibi omnem pecuniam decidisse de sinu, in quo eam deposuerat insutam cinctorio, quo nocturno tempore cinctus erat, ut de sua pecunia securus esset. Erat autem multus ducatorum numerus in eo, et in loco, ubi pausaverat, ibi in sabulum ceciderat. Advocato autem ad se Calino conquestus est sibi de auri amissione. Jussit ergo Calinus stare exercitum et prostrato camelo illius dum descendit et ad locum, ubi

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;